QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORUM DIE JOVIS III. DECEMBRIS.

M. PHILIBERTO MORISSET Doctore Medico, Præſide.

An hydropi venæ-ſectio?

PARTIUM corporis humani ea eſt ſyntimoria atque conſenſus, ut unâ affectâ & inſigniter læsâ cæteræ condoleant, ac unaquæque alteri morbum creet: venter capiti, caput carnibus ac ventri; hinc minimæ partis voluptas ac dolor principes firmat ac roborat, vel ipſarum temperiem immutat roburque diſſolvit, etſi aliæ citiùs & faciliùs, aliæ tardiùs & difficiliùs plectantur; & non ſecus ac inter humores nempe ſanguinem, pituitam & bilem duplicem flavam & nigram, ex quibus corporis natura conſtat, per quos dolet & ſanum eſt, alii aliis præpollent, dominantur ac potentiùs agunt obſiſtuntque, ita inter varias partium corporumque formas & naturas ſe res habet, atque adversùs morborum cauſas, quædam imbecilliores, quædam validiores & velut immunes exiſtunt, qui vel ἀπὸ τῶν ἐνεόντων, vel ἀπὸ τῶν ἔξωθεν oriuntur, ſive acuti ſint, ſive longi ac δύσλυτοι, qui ſenſim ſine ſenſu calorem nativum humidumque primigenium exhauriunt: quorum alii lethales, phtiſis, hydrops hypoſarcidios, in muliere utero gerente pulmonis inflammatio, febris ardens, plevritis, phrenitis; alii dubii ſunt eventûs ἐνδοιαστὰ νοσήματα, peripnevmonia, plevritis, angina, hepaticus ac ſplenicus affectus, nephritis, dyſenteria, in muliere ſanguinis fluor; cæteri minimè lethales, κέδματα, melancholia, podagra, coxendicum affectus, teneſmus, febris quartana, tertiana; inter acutos quidam in alios tranſeunt, morbus lateralis in febrem ardentem, phrenitis in pulmonum inflammationem, teneſmus in dyſenteriam, hæc in lienteriam cujus conſectarius eſt hydrops; longos, autem hos eſſe neceſſe eſt, tabem, inteſtinorum difficultatem, podagram, κέδματα, iſchiadem, ſenibus renum dolorem, mulieribus fluorem ſanguineum, hæmorthoïdes.

INTER morbos qui hypochondria obſident primas tenet hydrops, cujus ſæpe tanta calamitas eſt ut ad illius nomen exterriti homines toto corpore perhorreſcant & fracto ſint animo, cujus idæa cernitur in abdomine tanquam utre diſtento, vel in compagine univerſi corporis quod inæquale eſt; hanc diſtentionem facit vel ſpiritus flatulentus, qui ſi moveatur tanquam percuſſi tympani creber eſt ſonus, vel aqua in alveum ipſum collecta, quæ moto corpore fluctuantis inſtar Euripi impetum facit; hinc hydropis antonomaſiam ſibi vindicat pars illa diſtenta, cujus diſtentio ſimilis eſt utris repleti, & ab eâ ſimilitudine dicitur hydrops, cujus cauſa eſt ἡ ἀποτυχία τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου: hinc ſeri, pituitæ & flatuum perennis eſt generatio, ex quâ ὕδερος triplex emergit, tympanites, aſcites & hypoſarcidios; ſanguificationis fruſtratio fit vel impedimento hepaticæ functionis, vel alienatione facultatis ſanguificæ; hepaticæ functionis obex cernitur in dyſenteriâ, lienteriâ, diarrhæâ, tùm in torminibus alvi, quæ nullâ curatione quieſcunt, præterea in liene magno ac duro, unde lienoſi ὑποφαχώδεες μελάγχλωροι, ac in dolorificis lumborum malis; alienationis facultatis ſanguificæ duplex cauſa, una quidem ἀτονία, altera μαρασμὸς φρυγής; exhauſti hepatis atque toſti cauſa eſt cœcus ignis, vel ardor febrilis: ille jecoris gratioſum humorem depopulatur ipſumque reddit ex ſuccum, quod areſcendo fit durum & è ſuave-rubenti nigrum aut cinericium: ſic ab exhauſto vis perit ſanguifica & pro ſanguine funditur ſerum aut pituita atri coloris aut cinericii: nec maraſmus derepente fit, ſed ſenſim ſymptomatum feritate ægris minitatur exitium; altera cauſa maraſmi hepatici eſt febrilis ardor quô ipſum conflagrat & areſcit, qui citò mortiferus, ut in Hermocrate; aut hydropificus, ſi ex morbo acuto hepar ἐκ τοῦ κατορθώματος egreſſum in ὕδερον inciderit.

QUISQUE ſuos patimur manes, ac pleriſque partibus ſuus eſt hydrops, cerebro, pulmoni, utero, teſtibus, licet quidam morbi ſiccitati & naturæ magis familiares, vix tamen quiſquam ab hoc affectu ſe immunem aſſerere valet, qui ſenibus frequentior, calidis & ſiccis naturis magis lethalis, ſæpe acutorum & vetuſtorum morborum βλάστημα ac ſoboles; in hoc tricipiti monſtro tympanites ſeſe deterrimum exhibet & curatu difficillimum, tum demum aſcites medici induſtriam eludit niſi cautè ac ὡραίως agendorum anſam captet & inſtar draconis Heſperii pervigil totus & ſedulò tam immani diroque hoſti profligando incumbat, interdum præcaveat quippe ſunt illius inſtantis & futuri ſigna ut & præſentis & abeuntis ſua τεκμήρια, crepant enim ædificia antequam corruant, minitatur fumus incendium, & antequam tempeſtas ingruat unà Eurus Notuſque ruunt creberque procellis Africus; imminentem hydropem flatus in imo ventre atque illius ſpatiis collectos cum ilium dolore ſi neque medicamentis neque tempori cedant quis neget portendere. In his tamen ſignis non rarò tactus & viſus ſenſuum certiſſimi judices & exploratores hallucinantur, præſertim ſi hepatis ſcirrhus quem illico ſequi conſuevit πλάσμα ἢ φλεγμονώδης comes & aſſecla fuerit, qui etſi initio multò evidentiùs quâm inflammatio innoteſcat, tractu tamen temporis magis increſcens ſcirrhus non æquè facilè deprehenditur intercipiente judicium aſcite; atque num curatu facilis aut ἄλυτος ac εὔλυτος fuerit necne, ſagaciſſimus & in arte exercitatiſſimus medicus certò poteſt aſſeverare: & quamvis vulgò obſcuriſſimos & valdè difficiles morbos opinio magis quâm ars judicet, in his tamen plurimùm imperitiæ peritia præſtat & antecellit δόξα μὲν ἀνθρώποισιν κακὸν μέγα πεῖρα δ' ἄριστον.

QUÆRUNTUR artes quibus morbus per ſe gravis & periculi plenus poſſit abigi, ſi inveteratus occurrat, ferè ἀνέλπιστος omnem eludit induſtriam, ut patet in Bionis Cteſiphontis aliorumque ægrorum hiſtoriis, qui aquâ-intercutem variis ſymptomatis ſtipato correpti, ſeu decumbentes, ſeu erecti & ſtantes repentino fato extincti ſunt: ſi incipiens duo ſunt præſtanda, collecti humoris vacuatio, & hepatis quod à ſuâ temperie ſeu Leſbiâ normâ & Policleti regulâ deflexit redintegratio & confirmatio, & quò natura vergit, eò ducenda ſunt omnia, quæ ſæpe ſola abſque ullo adminiculo exequitur; unde ineunte hydrope ſi aquoſa incidat diarrhæa cruditatis expers morbum exolvit; & vice verſâ, ſi aqua ſectione factâ confertim eruperit, nullus eſt ſaluti locus: non ſecus ac ſi ſemel medicamentis profligatus recurrat aut tuſſis malè habeat, aut epilepſia ſuperveniat, num ergo aquâ intercutem laborantem ſeſe laboribus exercere convenit? ſudare, panem edere, potu non multo uti prodeſt? Num ad tres ſcopos collimare decet, ut durus tumor quô viſcus premitur evaneſcat? Ut apponantur ea quæ humiditatem diſſolvant, & propinentur medicamenta quæ urinas moveant: num tympaniti curando multa fælicitate opus eſt, præſertim multis laboribus, fotû & temperantiâ? An à ſymptomatis correctione auſpicandum, & ad declinationem cauſæ antecedentis ad ſpirandi libertatem & partium neoteriſmum ſanguinis miſſio confert, quam celebrare licet non modò ubi utraque plenitudo adeſt, ſed etiam abſque plenitudine initio phlegmones, quæ aut propter ictum, aut dolorem, aut partium infirmitatem oritur, atque etiam ubi crudorum humorum copia ſtabulatur.

PRINCIPES ſcopi mittendi ſanguinis ſunt duo, morbi non modò præſentis ſed imminentis magnitudo, & virium robur: & cùm magno graviſſimoque morbo magnum debeatur præſidium, nec ullum venæ ſectione præſtantius excogitari poſſit, mirum non eſt ſi arthriticis, morbo comitiali obnoxiis, melancholicis, vertiginoſis, anginâ, peripnevmoniâ, plevritide, aut morbo aliquo inſigni correptis, venæ-ſectio neceſſaria ſit, ac ægros ab eorum tyrannide vindicet: & cùm inter graviſſimos morbos hydrops primas teneat, quippe cùm ab hepate partium & viſcerum principe ortum ſuum ducat, ſanguinis detractione indiget ad προφυλακὴν & declinationem quidem in metu aſcitis, tympanitis ejus quoque curatione, cui ſeu ἀνεμίη φλεβοτομίη velut ſacra anchora & ultima naufragii tabula jure à divino ſene proponitur: etenim in ſanguinis multi craſſi & fæculenti ubertate ſpiritûs magna ineſt copia, quæ huc & illuc impetu delata, tandem in partes nobiles irruit, cui non aliud expeditius & promptius ἐπαφαιρέσει remedium, quæ ut copiam & calorem, naturamque ſub pondere gementem levat, ἐνέργειαν ac εὔπνοιαν conciliat, ita flatibus viam aperit, magnoque diſcrimine totum corpus liberat: οὐ γὰρ δύναται πολλὸν αἷμα κινόμενον ἀτρεμίζειν, ſed aſſiduâ caloris motione flatus plurimos gignit, non ſecus ac in lebete fervens aqua ſpumam: nec ab iis deterret leucophlegmatias: ut enim immodicâ lignorum ſtrue ignis ſuffocatur, ſic nimiâ materiâ calor nativus extinguitur; itaque ad declinationem cauſæ antecedentis & ſpirandi libertatem reſtituendam ſanguis ex baſilicâ mittendus venit; & quoniam fieri aſſolet ut anaſarca ſæpe ab excrementi ſuppreſſione ut hæmorrhoïdum & menſtruæ materiæ enaſcatur, interdum vena malleoli tundenda eſt, cujus eventilatione calor prius nimiâ humoris concluſi copiâ obrutus, aut intemperie obſeſſus expeditior fiet & ad ſua munia obeunda alacrior.

Ergo hydropi venæ-ſectio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ioannes Robert.
M. Ludovicus Gayant.
M. Franciſcus Vezou.

M. Claudius Puylon.
M. Petrus Yvelin.
M. Franciſcus de la Chambre, Medicus Regis ordinarius.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE

M. Alanus Lamy.
M. Claudius Quartier.
M. Franciſcus Landrieu.

Proponebat Lutetiæ PETRUS YON, Pariſinus, A.R.S.H. 1671.